



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm  
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciaae Liber vnus**

**Sanderus, Antoine**

**Antverpiae, 1625**

S. Adriani Memoria in Gerardi monte Flandriae opido.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10172**

patrum amatorum professionis monasticæ vitam componens, secutis inprimis vestigia S. Amandi, primi eius domus conditoris, quum multos instituto æquales, commendatione pietatis, atque virtutibus anteiret, latè diffusâ famâ Theodorico notus, huc ab eo accersitus, Abbas nouello gregi datus est, quem, inauguratus à B. Vindiciano, ita gessit, vt non immerito per celebri Vedastinorum præfulum ordini, Dux quidam atque Antefignanus creatur designatus. Ita de eo Chronicon Vedastinum fuit itaque Attaprimus Vedastini Cænobij, & Blandiniensis Abbas quartus, vitam eius ampliorem in Catalogo Blandiniensium Abbatum inuenies.

## S. ADRIANI

*Memoria in Gerardi-monte Flandriæ opido*

**G**ERARDI-MONS Opidum est Flandriæ versus Brabantiam intra muros habet insignem Benedictinorum Abbatiam anno 1095 à Manasse Episcopo Cameracensi in vico decliuo incohatam & anno proximè sequenti in opidum translata, petente Roberto Hierosolymitano Flandriæ Comite. Ad hanc Abbatiam S. Adriani Martyris reliquiæ ex Raulicuria Hannoniæ pago anno 1110 ab Eubaldo sunt translata. Locus frequentibus claruit miraculis, tantoque hominum piè peregrinantiû concursu vel in hodiernum vsque diem frequentatur, vt & Abbatia & opidum ipsum S. Adriani nomen quodammodo induerint. Reges ipsos huc aliquando aduentasse narrat in suis Antiquitatibus Gerardi-montensium commentarijs Ioannes Waesbergius. 8. Sep.

## AGRICOLAUS

*Episcopus Leodiensis, Flander.*

**D**E AGRICOLA O narrat Gazæus in Historia Ecclesiastica Belgij eum fuisse vndecimum Leodicensis Ecclesiæ Episcopum, post D. Seruatium, qui decimus eandem Cathedram tenuit; primus eodem auctore Trajecti ad Mosam resedit circa annum 512. vbi & eum Ecclesiam S. Seruatij edificasse, & post Hunnicam cladem reparasse, & in eadem sepultum asserit. Fuit autem Agricolaus, ab eodem aliisque scriptoribus sancti titulo honoratus, cuiusdã Flandriæ Saltuarij filius. Quem Tungrensibus à S. Remigio Episcopum datum circa annum 498 etiam Miræus narrat in fastis 1. Octobris, vbi de eodem Renensi Archiepiscopo Francorum Apostolo agit.

## ANTONINVS TIMMERMANNVS

*Dunkerckanus.*

**D**ominicanus Dunkerckæ maritimo Flandriæ opido natus anno 1547. parentes fortunæ mediocri probos tamen & longè honestos habuit, quibus magna fuit proles rectè educandi sollicitudo. Adolescens humanioribus litteris excultus melioris vitæ desiderio ardens Antwerpia in B. Dominici Sodalitatem nomen dedit annos natus 21. in qua eos fecit progressus vt prædicandi munere cum laude perfunctus sit, vtpote vir plane pius, eruditus, & Flandrici, Gallici atque Hispanici idiomatis æque peritus. Hereses quæ id temporis feruebant acriter, & magno atque assiduo concionandi studio est infectatus cumque Bellorum errorumque incendio arderet Antwerpia, Deo vt & Principi

miseria